



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvta, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

Proloqvium Ad Lectorem

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

PROLOQVIVM

AD LECTOREM

De argumento libri & oratione mentali.



Um omnis homo scire appetat, en scientiam, non mundi, quæ (a) odit. DEVM; non carnis, (b) quam DEVS odit; non literarum, quæ bona quidem, sed propriæ infirmitatis melior, quod ignorantia sui progignat superbiam malorum magistrans. Sed Scientiam Charitatis, optimam omnium Salutis Sanctitatisque Universitatem, (c) Quicumque enim DEVM amat, sapit. Ex aduerso (d) Scientia sine Charitate dementia est. Huius (e) duæ sunt demonstrationes, Brevitas tribulationis, Æternitas retributionis.

(a) Ioann. 7. v. 7. (b) Apocal. 2. 6.

(c) D. Laur. Justin de Charit. Dei c. 6.

(d) D. Chrysolom. 20. in Epist. ad Corinth. 2.

(e) D. Bernard. serm. 12. in Psal. 99.

(?) 4 Quis-

*Proloquium ad Lectorem.*

*Quisquis igitur honestate duci asso-  
let, huic se dedat scientia, sanctitate nil  
sublimius. (a) Quòd si nihil ambi-  
tio invenit difficile, sanctitas inve-  
niat? Quisquis movetur ab utili, hanc  
amplectatur, scientiam, minimus amo-  
ris DEI actus DEVM valet. Quisquis  
trahitur à dulci, in hac se scientia  
exerceat, (c) Meditatio DEI dulcis  
est. Quemcunque finis, & propria  
Beatitas allicit, hic à bonis creatis  
aversus proposito sibi majore, unicoque  
Bono infinito, in eodem cognoscendo &  
amando tantùm occupetur. Ideo enim  
Beatus est DEVS, quia se scit & amat.  
Quòd si à necessario excitementa re-  
quirantur, Modusque his operam na-  
vandi literis desideretur, edo-  
cebunt sequentes Pa-  
ragraphi.*

*(a) Petrus Blesens. Epist. 19.*

*(b) D. Augustin. in Manual. cap. 13.*

De Oratione mentali.

§. I.

DE ORATIONIS MENTALIS NECESSITATE.



Niversum quod inter nos & dæmones conflatur bellum, non esse alia de re, quàm de Oratione nobis pernecessaria, dæmonibus maximopere odiosa, asserunt (a) unanimiter Ascetæ; propterea, quòd dæmon animæ, cui unice invidet, nocere prius non valeat, quàm ipsa sit perversa; nisi enim videat mentem ad infusiones suas inclinatam, non potest in cor illius de proprio, quod habet, malo immittere; cùm in eum tantùm, qui gratiæ conscientiaq; dictamine abutitur, accipiat (permittente DEO) jus, ut voluntatem ejusmodi pertentet, vitiet, nec unquam satis descedet. (b) Non enim seducit ille, vel trahit aliquem, nisi quem invenerit ex aliqua parte jam similem sibi: invenit enim eum aliquid cupientem, & cupiditas aperit januam intranti suggestioni diaboli, vel invenit eum aliquid timentem, & monet, ut fugiat, quod illum invenit timere. Es per has duas portas cupiditatis & timoris intrat: claudere illas, & imple illud Apostoli: Non detis locum diabolo. Et verò anima, ne infusio-

(a) Biblioth: PP. tom. 3. c. 44. & 47. de Orat:  
(b) Aug ser. 20. de div. (?) s quibus

asso-  
te nil  
mbi-  
inve-  
hanc  
amo-  
squis  
entia  
ulcis  
opria  
eatis  
oque  
do &  
enim  
mat.  
re-  
na-  
  
DE

*Proloquium ad Lectorem.*

nibus satanæ aditum præbeat, id per custodiam affectuum, & cogitationum assequatur, è quibus sive mali, sive boni omnis origo dimanat; (a) *Omnis gloria ejus filia Regis ab intus*, id est, à cogitationibus, D. Hieronymo interprete: cogitationum autem, affectuumque discretionē oratione mentali obtineri, indubitatum est: igitur in promptu est, infallibilem puritatis obtinendæ, conservandæque regulam sic ab usu sacrae meditationis procedere, ut prius nobis imponere immundus satan nequaquam possit, donec ab exercitio meditationis nos abstrahat. A cujus neglectu principium Apostasie sumpturunt desertores Angeli, eamque continuerunt incolæ non solum Paradisi voluptatis, sed etiam religionis: à qua, quotquot defecerunt Judæ posterii, ex meditationis neglectu ad vomitum, & volutabrum defecerunt; canibus, suisque lutulentiores, totusque adeo mundus in maligno, imò totus infernus non alijs repletus est, quam erroribus, & ignorantibus, imprudentibus, & impudentibus, temerarijs, & insensatis, verbo, desertoribus (ita suadente satana) meditationis: præceptis quippe temeritas (QVI LEGIT, INTELLIGAT) abduxit mentem, ne circa suggerit: mala adhiberent seriam considerationem; inconsideratio fecit, ut invalesceret

(a) *Psal. 44.*                      *delecta.*

*De Oratione mentali.*

delectatio; quam cum ratio prohiberet, oppressit hanc mala voluntatis sub apparente bono consensus; quem cum accusaret conscientia, & status, Deumque offensum minaretur, contempsit hanc, & illum impudentia. Omne igitur malum ex appetitione boni falsi, & ignoracione veri boni, hæc verò ex inconsideratione, hæc denique ex oratione mentali neglecta originem ducit. Unde cælum spoliatur habitatoribus, terra inundat scelere, infernus repletur damnatis. (a) *Adam non orat in horto, & preponit sensualitatem præcepto*, notat Rupertus Abbas; & Origenes de Jobo ait: *Quem cum prostratum videret diabolus, gavisus est: cum autem orantem atque adorantem audiret, obstupuit atque expavit.* Adeo verum illud D. Augustini: (b) *Rectè novit vivere, qui rectè novit orare.* Equidem in confesso est, tutiora salutis consecrantem professioni suæ satisfacere non posse, nisi peccata devitet, vitiorum radices evellat, malis cogitationibus aditum præcludat, affectus ordinet, judiciû, & propriam voluntatem abneget, Christo Domino mentem subijciat, sensus utrosque colligat, tentationes superet, animum ad bonum roboret, rectificet intentionem, opera expoliat, perficiat virtutes, adversa libenter sustineat, in

(a) *Lib. 3. in Genes.* (b) *Hom. 4. ex 50.*

(?) 6 . pace

### *Proloquium ad Lectorem.*

pace, conscientiaque tranquillitate vivat, Dei sanctitatem imitetur, proximos ad omnem profectum juvare curet, cum devotione, discretionéque spirituum operetur omnia: (a) cui enim praesto non sunt haec, caesus est, & manu tentans. Atqui haec ipsa sine oratione mentali nemo habere potest: cum haectenus enumeratae actiones sint mentalis orationis effectus: oratio enim mentalis in cogitationem, meditationem, contemplationemque dividitur. Sed cogitatio est improvisa ac momentanea Dei, aut rerum ad eum pertinentium consideratio, ad bonum affectum excitandum ordinata: cujus fructus sunt, malis cogitationibus aditum praeccludere, plurima peccata vitare, Christo Domino mentem subijcere, animum ad bonum roborare, ad meditationem praeparare. Atqui meditatio est attenta, ac sollicita mentis consideratio, cunctanter procedens, & rei cujusque naturam, proprietates, & actiones, utiliter inquirens, ut cultum Deo exhibeat, affectus moveat, orationes puras, ferventesque deprobat, & vitae nostrae emendationem, ac salubrem mutationem adferat: cujus fructus sunt Veritatum aeternarum agnitio, odium vitiorum, regni virtutum amor, vitae reformatio, devotio, & discretio, juxta illud D.

(a) 1. Petr. 2.

Bernardi:

## De Oratione mentali,

Bernardi: (b) Meditatione pericula agnosce-  
mus, oratione evadimus. Atqui contemplatio est  
perspicax intuitus DEI, rerumque coele-  
stium, veritatem sine discursu simpliciter in-  
spiciens, beneficio Sapientiae, Spiritus sancti  
dono, & ex amore procedens, atque in amo-  
rem desinens, cujus fructus sunt duodecim  
actiones, paulò antè enumeratæ. Unde de-  
inceps evincitur (verbis utor D. Chrysostomi,  
(a) quibus à fortiori pro meditationis stu-  
dio concluditur.) *Quisquis non orat Deum,  
nec divino colloquio cupit assidue frui, is mor-  
tuus est, & vitæ carens, expersque sana mentis:  
nam hoc ipsum evidentissimum signum est amen-  
tiae, non intelligere magnitudinem hujus honoris,  
nec amare deprecandi studium, nec hoc habere  
persuasum, quod anima mors sit, non provolvi ad  
DEI genna.*

Sapientissimè igitur hoc commentandi  
exercitio Christus cum Discipulis noctes in-  
somnes in deserto & montibus duxit, & B.  
Virgo MARIA apud Beatum Lucam in cor-  
de suo conferebat, quæ à Christo, vel de  
Christo dicta audierat. Hoc S. Joannes Ba-  
ptista omne vitæ tempus in eremo, ac post  
eum innumeri Anachoretæ sine fastidio tra-  
duxerunt: hoc deniq; usi sunt Sæcti omnes,

(b) *Sermon. de S. Andrea.*

(a) *Lib. 1. de orando Deo.*

& quot.



## *Proloquium ad Lectorem.*

& quotquot salutis suæ fuerunt amantiore,  
Duplicem hîc suboriri video difficultatem,  
alteram ex potentia applicante, alteram ex  
applicata: illa est voluntas, hæc est memoria,  
intellectus, imaginatio, sensusque reliqui  
cum toto corpore, præsertim non bene con-  
stituto, quæ omnia totâ mole, contra medi-  
tationem nituntur: quòd intellectus sensi-  
bilibus, naturalibusque & claris veritatibus  
assuetus, fidei veritatibus, utpote spirituali-  
bus, abstractis & obscuris non afficiatur,  
multoque minùs phantasia, & omnium mi-  
nimè sensus reliqui, affectusque inferiores: à  
quibus cum moveatur imaginatio, & ab ea  
intellectus, & deinceps voluntas, hinc illa à  
meditando alienatio. Cui malo à peritis  
meditandi modus hic præscribitur.

### *§. 2. De modo meditandi.*

*ac preparatione triplici.*

**M**entalis Oratio, qua parte donum DEI  
est, cor ab omni alieno affectu vacuum  
requirit; qua parte verò arduum & difficile  
negotium est, & à demone infestari solitum,  
totum conatum, vitæque omnes postulat,  
Itaque præmittenda erit triplex præparatio.

Remota in conservacione vitæ immacu-  
latæ, & ab omni vilitate depuratæ, qualem  
habere nitimur acturi cum Regibus.

Propin-

### *De Oratione mentali.*

Propinqua delectu materia, ad purgativam, vel illuminativam, vel unitivam spectantis, prout quis opus habuerit: vel ex lectione sacrae Scripturae, inhærendo sensui literali, morali, allegorico ad Christum & Ecclesiam spectante, anagogico, coelum & caelestia respiciente: vel inhærendo vitæ Christi, Sanctorumque, aliquam inde virtutem eliciendo, incitamenta pro ea quaerendo, cogitata in summam colligendo, affectus meditationi aptos, sive lectione piâ, sive orationibus jaculatorijs comparando, insequentem diem huic, illive virtuti decernendo: cujus præparationis omissio ob quascunque occupationes à malo est, sub specie boni fallente, dum bonum præparationis minori bono occupationis posthabere suadet: præterquam, quod propriam confidentiam arguat præparationis neglectus omnis, & vitiatam plerumque intentionem ex amore inordinato occupationis impertinentis.

Præparatio proxima est collectio sui met immediatè ante meditationem, necessaria etiam exercitatis in oratione, adeò, ut præstet tantillum spatij de meditatione detrhere, vel quasi meditationi computare, datum ad illam collectionem sui, ne unquam repente irrumpatur in meditationem, ne vel latius, vel incertum, vel interruptè vagetur  
coram

*Proloquium ad Lectorem.*

coram Deo mens, néve accedat quisquam ut  
orandus, sed ut oraturus humiliter, cupide,  
reverenter, ut Christus Deum oravit in horto.  
Reverentiam excitat agnitio magnitudinis  
Dei, & nostræ exiguitatis, quæ illi collata  
minor est infinities, quàm stella respectu fir-  
mamenti, gutta respectu maris, atomus re-  
spectu universi orbis. Auget reverentiam  
præsentia Dei, quæ optimè fit per actum  
fidei: Ipsa verò reverentia, timore & amore  
Dei sociata, excitat ad orationem internam  
& externam Dei. Itaque formatâ per fidem  
præsentia Dei, adorabo humillimè Sanctis-  
simam Trinitatem ad eum modum, quo  
Regem adituri tergeniculantur. Orabo Pa-  
trem æternum, ut me oraturum audiat, &  
adjuvet; Filium, ut me doceat orare; Spi-  
ritum sanctum, ut oret in me nesciente orare,  
sicut oportet, & clamet mecum, & pro me:  
Abba, Pater. Dicam potentijs meis cum Da-  
vide: Venite, adoremus, & procidamus ante  
Deum. Sequitur Oratio preparatoria, quæ  
semper eadem manet, quâ petimus à Do-  
mino gratiam, ut vires atque operationes  
nostræ, omnes sincerè ad ejus gloriam &  
cultum tendant. Unde tria orationis arcen-  
tur impedimenta: Indignitas orantis, minùs  
recta intentio, infirmitas, &  
ignorantia,

## *De Oratione mentali.*

### *§. 3. De triplici præludio:*

**A**D minuendam difficultatem cum DEO, qui Spiritus est, agendi de rebus spiritibus, præmittuntur præludia, quæ pro diversitate rerum sunt diversa. Primum præludium est historiarum, de qua meditaturus sum, repræsentatio, per unum Pater, & Ave.

Secundum præludium est loci constitutio imaginaria, ubi historia contigit: quod si materia non sit historica, fingendus est breviter locus, vel aliquid ex re meditanda, quod sub sensum cadit, unde imaginatio suaviter alligata evagari non sinatur: & cum per eam affectus sensitivi excitentur, nascetur hinc sensibilis devotio.

Præludium tertium est petitio luminis ad agnoscendum, quod considerare proposui, & gratiæ ad obtinendum, quod bonum intellexero, vel effugiendum malum.

### *§. 4. De tribus, quæ ad ipsam meditationem requiruntur.*

**C**um meditatio sit rerum Fidei attendita & humilis investigatio, ut ejus beneficio moveamur ad fugam malorum, prosecutionem bonorum, debet abesse curiositas, suavitatum cupiditas, ostentationis vanitas, & mera, quæ tempus insumatur, consuetudo: adesse verò debet voluntas Deum colendi,

cor

## *Proloquium ad Lectorem.*

cor emundandi, auxilia contra hostilitates pro laboribus, & doloribus sufferendis è cœlo impetrandi, Deoque nos conformandi & uniendi, & denique agnoscendi, quid vitandum, quidve præstandum, credendum, sperandum, & amandum sit: ideo in meditatione requiruntur tria. 1. Veritatis expositio, ejus finis, & probatio. 2. Media ad eam obtinendam. 3. Praxis utendi medijs. Ad quæ obtinenda dividitur Meditatio in puncta, & colloquia.

### *§. 5. De Punctis in meditatione.*

**P**unctum quodvis tria habet. 1. Intelligere veritatem propositam, & ratione solida intellectu convicto voluntatem ad eam amplectendam movere, mediisque inquirere, ad obtinendum finem per eam veritatem intentum. Veritates sunt eæ cognitiones, quibus notitiam Dei, & nostri, rerum verò cæterarum propter eandem Dei & nostri notitiam comparamus; quæ semper erunt praxi fervientes: Nam ideo Deum agnoscimus, ut ex ejus notitia ad ejus amorem, timorem, obedientiam moveamur: Nos verò ideo cognoscimus, ut ex perceptione vilitatis, & nihili nostri humiliemur, & propter dona Dei in nobis, eorum largitori ad gratias referendas excitemur. 2. Examinare

nare

## *De Oratione mentali.*

nare se, quomodo agnitam veritatem exercuerit, & quomodo eam posthac exercere possit. 3. Propositum facere, eam deinceps exercendi. Seu brevius, in quovis puncto meditationis memoria per primam mentis operationem apprehendit historiam, vel Evangelicam veritatem. Deinde per secundam mentis operationem judicat hanc esse veritatem de Fide divina, unde intellectus per discursum deducit conclusiones supernaturales practicas, voluntatique proponit amplectendas.

### *§. 6. Quomodo quis historiam meditetur.*

**E**T hoc est illud, quod dicitur in meditatione historiarum, ut considerata persona, ejus nobilitate, educatione, ætate, forma, &c. Verbis, vel silentio, &c. Actionibus, actionis natura, modo, circumstantijs, &c. Fine se superandi, virtutem accipiendi, proximo prælucendi, Dei honorem promovendi, satisfaciendi, Dei gratiam impetrandi, &c. Affectibus, consolatione, vel desolatione, &c. Effectibus bonis sibi, & alijs, adjunctisque præterea reflexionibus circa historiam earum rerum, quæ probabiliter accidere poterant; tandem deveniat ad materiam non historicam, qualis est virtus ex historia deducta

### *Proloquium ad Lectorem.*

ducta, cujus considerata honestate, communi & propria, utilitate in anima & corpore, facilitate, propter auxilia è cœlo, & exempla, necessitate inevitabili, amotisque impedimentis; ad extremum (quòd omnis de virtute intellectio ad agendum referatur) judicet practicè, quàm sibi ea virtus conveniat, quantum absit ab ejus perfectione, quàm conniti debeat ad eam obtinendam, comparando personas personis: verba verbis, opera operibus, finem fini, affectus affectibus, effectus effectibus, ut graviora, duriora perferat nullâ suâ culpâ, spontè, ad exemplum mihi, ad gloriam Dei. Signum, efficaciter hæc voluntati proposita fuisse, est: si ipsa valde desideret, si indigentiam, & impotentiam suam advertat, si in Deo confidens petat, & instet pro eadem virtute obtinenda, iuvabitur confidentia duobus: beneficiorum commemoratione, & puritate animæ, labis non consciæ, unicamque Dei gloriam expetentis.

#### *§. 7. Quomodo excitandi affectus. augendi eos modi septem.*

**S**equitur affectus ex permota voluntate, & ex affectu interno colloquium optimum. Affectus excitantur à suis objectis. Amor ex agnitione boni: Desiderium ex absentia

## *De Oratione mentali.*

sentia boni: Spes ex promisso bono: Audacia ex necessitate urgente: Gaudium ex praesentia boni: Ira in bonum impediens: Timor boni perdendi: Odium contra officientem bono: Fuga similiter.

Affectus augentur. 1. Per propositiones conditionatas, quid Christus, vel Sancti facerent, si in statu meo essent: Quid ego, si personam eorum subirem, ratiocinando, urgendoque, quanto magis me id nunc deceat.

2. Amando id, circa quod meditor: amor enim semper novos affectus invenit, quia est fons affectuum, restituitque ad eum modum orantem, quo funambuli in funiculo tenui quantumcunque titubantes ad rectitudinem se reducunt. Et occurrentibus quibusvis distrahentibus, leonibus, bobus, lupis & agnis, parvulus amor Dei minabit eos.

3. Augentur affectus ex majori agnitione virtutis, eiusque pulchritudine: necessitate, utilitate in hac, altera vita, delectatione, honore coram Deo & Angelis, & mundo, displicentia coram Dæmone, eiusque asseclis, ex penetratione consiliorum, exemplique Christi, ac Sanctorum. Similiter augentur affectus odij contra vitium ex agnita eius turpitudine, tametsi non esset vitium, ex eius fugiendi necessitate, ex utilitate perenni, amaritu-



*Proloquium ad Lectorem.*

amaritudine verò etiam in hac vita, nisi fugiatur, ex dedecore coram cœlo & terra, ex displicentia, & odio, quo feruntur in vitia Sancti, & Angeli, & Deus; ex voluptate, quam dæmon inde habet, & damnati nobis invidentes, ex consilio exemplòque Christi & Sanctorum.

4. Augentur per viam. 1. purgatiuam, ad quam spectat odium dissonans malo, & elicitur corde, ore, opere, de omni actu mali, ejusque causa, dispositione proxima, propinqua, & remota, crescentibus odijs super omnia mala fortunæ, corporis, animi, vitæ, temporalia, æterna, cum odijs Sanctorum Viatorum, Comprehensorum, Angelorum, Beatissimæ Virginis, Domini JESU, & DEI. Et quia odium in aversione situm est, qui ferriò odit malum culpa, in plura abibit suspiria, quàm Mater Augustini, Manasses, Petrus, Magdalena, &c. Odium sequitur fuga discessus à malo: Sollicitudo, quæ cogitat id malum declinare: Angor, qui premit: Timor, qui metuit: Terror, qui concutit: Fortitudo, quæ instat: Pavor, qui mentem loco movet: Dolor, qui cruciat: Tristitia, quæ est de malo præsentem: Spes, motus in bonum arduum comparabile: Audacia in malum arduum: ingens Desiderium mortificandi, radices vitij, & ressecandi, 2. Per viam illuminatiuam

## De Oratione mentali.

nativam augentur affectus amoris erga virtutem, omnemque actum virtuosum, & causam, & dispositiones proximas, propinquas, remotas, super omnia bona fortunæ, corporis, animi, vitæ, tēporalia, & æterna. amoribus Sanctorum, &c. Huc spectant desiderium, spes, gaudium, sancta quædam tristitia, quòd Christum, non sicut oportet, imiter, &c. 3. Per viam unitivam augentur affectus amoris de Deo, ejusque attributis vehementi desiderio, ut Deus agnoscat amplius, & ametur ubique amore complacentiæ, benevolentia, obedientia, corde, mente, animâ, viribus, virtute, ex toto. Hinc fervor, languor, suspiria ardentia, importunitas, gaudium, liquefactio, unio, zelus, extasis, quæ est positio volûtatis, & intellectûs extra suam ordinationem; raptus, qui superaddit violentiam, amor, & gaudium de Christo Domino, bonisque ejus, & quæ in nos redundant, ferventissima ejus imitandi appetitio, reliquique affectus bene multi in meditationibus, 165. 166. 167. & 348. usque ad 356. & 400.

Augentur affectus 5. si ordine alphabeti teneantur memoriâ, verbi causâ affect' Æstimationis, Affirmationis, Admirationis de divinis perfectionibus, proprijs imperfectio- nibus, pulchritudine virtutis, turpitudine  
vitiij,

*Proloquium ad Lectorem:*

vitij, magnitudine præmiorum, gravitate  
pœnarum, æternitate utriusque, per actus  
Fidei ad imitationem Psalmi 135. Confite-  
mini Domino, quoniam bonus: quoniam in  
æternum misericordia ejus. Benedictionis  
cum tribus pueris in fornace Babylonica.  
Communicationis secum, cum Deo, Sanctis,  
quidnam agendum, per modum dialogismi.  
Confessionis reatûs proprii. Confortationis  
ad fervorem, ad agenda & perpetienda ar-  
dua. Detestationis lapsûs, & causarum ejus.  
Dubitationis de evadendis ijs, obtinendis  
contrarijs. Exhortationis sui ipsius ad stre-  
nuè agendum. Fiduciæ in Deo propter bo-  
nitatem, promissa, Filij Dei merita. Grati-  
tudinis triplicis, agnitione beneficij, gratiarû  
actione, compensatione: Odiique ingratitu-  
dinis, quæ nec compensat, nec gratias agit,  
nec agnoscit beneficium. Humiliationis sui,  
quàm nihil possit, quàm nihil sit, quàm ma-  
lus sit, & quàm hoc nesciat. Invitationis Dei  
Angelorum, & Sanctorum, ne sui obliviscan-  
tur. Laudationis, nominando Dei attributa,  
& Sanctorum acta, & Passionem, Mini-  
tationis sibi ipsi à Deo, à se, ab Angelo.  
Narrationis, quæ pro Deo fecerit, tulerit,  
voluerit. Negationis virium propriarum,  
meriti sui, vel reatûs sui tanti. Oblationis  
sui totius; Obsecrationis, instando per im-  
mensum

*De Oratione mentali.*

mentum amorem DEI, &c. Petitionis, ut exaudiat, ut succurrat, ut illuminet, &c. Propositi in futurum. Provocationis diaboli, mundi, per conditionatas propositiones. Protopopœjæ reprehendentis, adhortantis, promittentis Dei, vel alicujus Sancti, dolentis meam socordiam, vel diaboli exultantis, aut exulcerati, vel inducendo virtutes loquentes, exemplo D. Augustini. Quarrelæ Dei, vel apud Deum. Reprehensionis sui met, vel Satanæ. Solicitationis, instando apud Deum, ut festinet. Taxationis, statuendo in se poenam, nisi deinceps caverit. Victoriam sui hodie, in hac re, toties. Zeli, pro gloria Dei, salute proximi, omnia exemplo Christi, Sanctorumque.

Augentur affectus 6. Si per totum Rosarium unius virtutis actus diversi eliciantur. Est hic modus admodum efficax ad virtutem aliquam solidè, atque integrè animæ insculpendam. Si verbi causâ in prima decade vitia virtuti illi opposita detester, in secunda actus illius virtutis eliciam, in tertia actus heroicis ejusdem virtutis, &c.

Augentur affectus 7. Si manente eodem formali objecto virtutis mutetur ejus materiale, ut, placet abstinentia in cibo, placet in potu, placet in somno, &c.

)? (

§. 8.

*Proloquium ad Lectorem.*

*S. 8. De colloquijs, quomodo  
fiant, & augeantur.*

**S**equuntur colloquia. Habet colloquium  
tria 1. Gratiarum actionem, vel pro lu-  
mine, vel pro Dei circa me patientia, quo  
modo gratias agebant Sancti, præsertim  
Christus Dominus 2. habet oblationem  
propositi facti, cum cineribus Sanctorum,  
incenso Angelorum, meritis Christi 3. ha-  
bet petitionem gratiæ. Argumenta petiti-  
onis sunt: 1. Propria miseria. 2. Humilis com-  
memoratio obsequiorum DEO præstito-  
rum. 3. Intercessio Sanctorum. 4. Merita  
Christi, in quo summè sibi complacet Deus  
Pater, estque ipsi gratus, & acceptus infinite  
cujus actiones valent apud Deum infinite  
quia est Persona infinite digna, per quam  
habemus satisfactionem sine fine 5. Deus  
ipse propter gloriam sui nominis; debet  
autem rogari æterna pro ipso homine pe-  
tente in Fide, Spe, Charitate, perseveran-  
ter, & piè. Hinc causæ non impetratæ pe-  
titionis sunt, vel quia peccatores in flagiti-  
is hæremus, vel quia salutaria non petimus  
vel non ferventer, non constanter, non bonâ  
intentione, sed imperiosè, superbè, sed sine  
resignatione, sine misericordia erga suppli-  
ces nostros postulamus, quibus absentibus  
si a Domino non audimur ad votum, exat  
dimu

*De Oratione mentali.*

dimur ad meritum, si non impetramus ad voluntatem, certè obtinemus ad salutem.

Colloquia sunt ad Sanctos, Conjugatos, Viduas, Virgines, Confessores, Martyres, Apostolos, qui rogandi sunt per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Med: 47. Ad Angelos perfectos in exequendo: Archangelos perfectos in præscribendis medijs: Principatus perfectos in gubernando: Potestates perfectos in spirituali fortitudine: Virtutes, perfectos in miraculis: Dominationes, perfectos in electione summi boni: Thronos perfectè addictos voluntati DEI: Cherubim, perfectos in claritate & notitia divinorum mysteriorum: Seraphim, perfectos in charitate, & ardenti amore Dei, amicitiaque plenos, qui rogandi sunt per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Medit: 44.

Ad Beatissimam Virginem, quæ roganda est per beneficia à Deo accepta, quæ referuntur Medit. 339. per Virtutes, &c.

Ad Christum Dominum fontem luminum, & gratiæ, defensorem, promotorem, spectatorem, Doctorem Virtutis, causam ejus efficientem, meritoriam, exemplarem, finalem, qui seipsum proposuit mercedem magnam nimis, qui rogandus est per beneficia specialia à Deo accepta, & referuntur Medit: 158. Per prodigia in Incarnatione, &c.

*Proloquium ad Lectorem.*

In Venerabili, &c. Per virtutes Christi, ab-  
stinentiam, beatitudines, beneficentiam,  
benignitatem, charitatem in Deum, & ho-  
mines, Castitatem, Circumspectionem, Cle-  
mentiam, Constantiam, Contemptum sæ-  
culi, Discretionem perfectiora eligendo, Do-  
cilitatem, Fiduciam, Fortitudinem, Fructus  
Spiritus sancti, & Dona, Gratitude, Hu-  
militatem, Justitiam, Liberalitatem, Longa-  
nimitatem, Macerationem, Magnanimita-  
tem, Mansuetudinem, Misericordiam, Mo-  
destiam, Mortificationem, Obedientiam,  
Observantiam, Pacem, Patientiam, Pauper-  
tatem, Pœnitentiam, Perseverantiam, Pru-  
dentiam, Pudicitiam, Puritatem cordis, Re-  
ligionem, Spem, Severitatem, Simplicita-  
tem, Sobrietatem, Sollicitudinem, Studio-  
sitate, Taciturnitatem, Temperantiam, Ti-  
morem Domini, Veracitatem, Virginitatem,  
Zelum, ex quibus virtutibus scala Jacob  
fieri posset ad Deum,

Augentur colloquia ad Deum ipsum o-  
mnis boni originem, cujus ego sum infinitus  
debitor, ejus infinitis attributis præsentabo  
abyssos nihili mei, ac miseriarum. Attribute  
Dei in ordinem Alphabeti ita redacta sunt

Est Deus à se, Adjutor, Affabilis, Altissi-  
mus, Amabilis, Amas omne bonum; Amor,  
Artifex omnium, Æternus.

)?( 3

Beatus

*De Oratione mentali.*

Beatus, Beneficus, Bene omnia facit, **Be-**  
**nignus, Bonus.**

Clemens, Conservator, Consiliarius, **Con-**  
**solator, Cōtentus modico, Creator, Custos.**

Deus Pater, dat quantum quisque capax  
est, Desiderabilis, Dives, Dominus, **Donum,**  
**Dulcis.**

Excelsus, Excellentissimus. [cicudo.

Deus Filius, Fidelis, Firmamentum, For-  
Gloria nostra, Glorificator, Gubernator.

Ineffabilis, Incomparabilis, Incompre-  
hensibilis, Infinitus, Immensus, Immortalis,  
Invisibilis, Judex, Justificans, Justus.

Legislator, Liberalis, Longanimis, **Lo-**  
**quens justitiam, Lux sine caligine.**

Magnificus, Merces, **Misericors,**  
**Nobilissimus.**

Odiens omne malum, **Omnipotens.**

Pater simpliciter, Pater noster, Pater fu-  
turi sæculi, Patiens, Pax nostra, Pulcher, Per-  
fectissimus, Providētissimus, Protector, Pius,  
Prædestinator, Perseverantiæ dator, Puniens  
semel tantum, nec unum propter alium.

Redemptor, Rectus, Refugium nostrum,  
**Revelans profunda.**

Deus Spiritus sanctus, Salus, Sanctus, Sa-  
piens, Spiritus, Simplicissimus, Spes nostra,  
Suavis, Sulceptor, Suscitor, scit quantum  
ab unoquoque petat.

):( 3

SS. T. B. X.



*Prologium ad Lectorem.*

SS. TRINITAS unus DEVS, Terribilis,  
Verbum, Verax, Verus, Videt nō oculum,  
& personam, sed cor; Vita, Unus, Vocans,  
Ultor, Ultimus finis omnium.

Zelans. His attributis propriæ miseriæ  
abyssi per antithesim subijci possunt, ut Ad-  
jurori egestas mea, Affabili mea protervia,  
Altissimo demissio mea substernitur, &c.

Colloquium ultimum ad personas SS.  
TRINITATIS, quibus denuo adoratis,  
actisq; gratijs pro audientia, luminibus, &c.  
Petam humillimè à Patre, fōre omnis boni,  
ut memoriam meam impleat donis datis,  
addito Pater, & Ave. Ad Verbum, ut intelle-  
ctum meum lumine veritatis, inspirationi-  
busq; suis illustret, addito: Anima Christi  
&c. Ad Spiritum Sanctum, ut voluntatem  
meam ad se flectat, & inflammet, & stabili-  
at in amore suo, addito: Veni sancte Spiritus,  
&c. denique ad B. Virginem, ut ipsa sup-  
pleat defectus meos, addito: Sub tuum præ-  
sidium, &c. vel: Defende quæsumus, &c.

Summopere in eliciendis affectibus no-  
tandum est, ut nullo modo violenter, sed  
suaviter, plenâ tamen voluntate, licet in-  
sensibiliter, eliciantur, ut solet amicus loqui  
cum amico præsertim dilecto, ubi occupan-  
tur omnes potentia, sensusq; interni,  
nec fatigantur.

*De Oratione mentali.*

*§. 9. De repetitione triplici, & quadruplici sensuum applicatione.*

**R**epetitio ejusdem meditationis utilissima, quò Veritas magis penetretur, & intellectu antè persuaso affectus vehementior suborietur. Fit repetitio vel inhaesione illi parti, ubi major illustratio fuit, vel ubi ariditatem experti sumus, vel per applicationem sensuum.

Est applicatio sensuum actuosa mysteriorum contemplatio sine necessario discursu, admisso tamen, si occurrat. Præmittitur præparatio, ut dictum est antè, subsequitur ipsa sensuum exercitatio, modus eos exercendi est proponere sibi eorum objecta.

Oculus spectat, colorem, lucem, figuram, quantitatem, numerum, motum, quietem, distantiam, situm, qualitatem.

Aures percipiunt vocem, suspiria, gemitus, risum, strepitum, sonum, numerum, motum, quietem, facundaque silentia.

Gustus dijudicat cibos, potum, saporem, numerum, varietatem.

Odoratus versatur circa odores florum, unguentorum, & è contrario.

Tactus attendit ad qualitatem, frigus, calorem, succum, durum, ad pondus, ad figuram, ad quantitatem, distantiam, situm, numerum, motum, quietem.

## *Proloquium ad Lectorem.*

Hinc uberrima sumitur ex sacris historijs ad meditandum materia, propositis etiam ijs, quæ probabiliter accidere poterant, Colloquijs de more sequentibus.

Secundus modus exercendi sensus est per objecta metaphorica, & spiritualia: ut videre Christi loquentis verba instar lucidi radij: audire vocis suavitatem: olfacere fructum eorû: gustare dulcedinẽ verborum corda satiantium: cõtingere verborû calorem pectora inflammantiũ. Ex aduerso videre verbi vitiosi monstruosam formam, audire ejus dissonantiam, sentire foetorem, gustare amaritiem, tãgere pestilentia, & quæ probabiliter concipi possunt, imaginatione cõplecti, ad magis inclinandam, vel avertendam voluntatẽ.

Tertius modus exercendi sensus est, quando sensibus respondent virtutes, ut visui Fides, auditui Obedientia, odoratui Spes, gustui Devotio, & sapor rerum Dei, tactui respondet Charitas, quã velut duabus ulnis Deus, & proximus stringitur, sicque conjunctio spiritûs mei, cum spiritu Dei.

Quartus modus exercendi sensus est extraordinarius, & à Deo infusus, nec intelligitur, nisi per cognitionem experimentalem, unde ab inexperto concipi non potest: sicut dulcedo mellis nullis verbis, sed tantum deliberatione agnoscitur. Hic sensus inter-

nus

### *De Oratione mentali.*

nus à Deo communicatur 1. Spirituali visione, sive aspectu, ut Moyles vidit invisibilem. 2. Spirituali auditu, sic Sponsa loquente Sponso liquefiebat: quanquam plus habeat claritatis visio, quam auditio. 3. Spirituali odoratu, qui excitat in nobis concupiscentias internas. 4. Spirituali gustu, supra omne delectamentum lactis, mellis, favi, & mannae. 5. Spirituali tactu, & unione spiritus nostri, cum Spiritu Dei. Superat hic sensus reliquos omnes: sed quia terrena habitatio callum nobis obduxit, non facile dici potest, nec sentiri. Qua de re Pater Ceparius Librum sapientiâ plenum edidit.

#### *S. 10. De reflexione à meditatione facienda.*

**S**equitur reflexio, quam vaferrimus dæmon semper impedit, metuens, ne vel fraudum ejus vestigia reflexione, & examine dignoscantur: vel ut gratiæ Dei, ac lumina oblivione præfocata extinguantur. (a) Pro discernendis autem luminibus veris ab illusionibus, advertit nonnemo, omnem illusionem voluntatis aliquid inordinate aversantis, vel prosequentis, supponere errorem saltem practicum in intellectu: ad quos errores discernendos attendendum est ad bonum, qualenam sit: aliud enim est bonum

(a) P. Anton. Gaudier, de 4. instrum. perfect.

### *Prologium ad L. theorema*

Dei extrinsecum, seu gloria Dei, aliud meum gratia, & gloria, aliud indifferens, quod naturæ placet. Ita malum triplex est, vel contra Dei gloriam, vel malum culpæ, vel indifferens aliquod mihi dolorosum. Hinc accidit, ut sæpe bonum gloriæ Dei conjunctum sit cum malo indifferente, mihi doloroso: & malum Dei conjunctum cum bono indifferente mihi delectabili, quod sibi me fortius attrahat, quam avertat malum Dei. Itaque omnis illusio inde oritur, quod vel intellectus voluntati non satis perspicaciter proponat bonitatem rei, vel malitiam; vel quod voluntas practicum pervertat iudicium. Id, quod in genere quatuor modis evenit, vel ex parte causæ efficientis, dum putamus nos plus posse cum ordinario Dei auxilio, quam possimus, adeoque bona pleraque à nobis esse putamus, nôtque nobis pane sufficere, unde non ita à Deo pendemus. Vel illudimur ex parte causæ finalis, quando nos facimus finem honorum nostrorum, & actionum, non autem Deum. Vel illudimur ex parte rei indifferentis, eidem non præmissâ discretionem adhaerendo. Vel denique ex parte ipsius electionis, quando utile, atque delectabile præponimus honesto, vel minus honestum magis honesto præferimus, virtutum bonis interum velatis. In particulari, num à dæmone  
illusus

*De Oratione mentali.*

illusus in meditatione fuerim ex reflexione agnoscam; si enim antemeditationem non cavi à culpa, torpore, laxitate, imò si nimiam intensione verbi causâ studui, deceptus sum ex mente Divi Nilii & Basilij, quia obstaculum bono successui meditationis posui. Si in præparatione materiæ fui negligentior, vel ex confidentia propria, id erat occultæ superbix; vel ex alia occupatione, quod fuit erroris minus bonum proposuisse majori. Si in ipsa meditatione fuit negligentia in consideratione divinæ præsentix, sine qua inutilis solet esse meditatio, illusus sum. Si oblivio rerum propositarum contigit, ei medebor tripliciter; i. res meditandas per sensibilia in posterum memoriæ proponam; deinde amabo intensè meditationis materiam; non potest memoriâ excidere, quod amatur. servabo denique additiones magni meditationis magistri, sancti Patris IGNATII. Si voluntas non fuit bene disposita, ex culpa etiam habituali, quæ gratiæ Dei officit, necessariæ orationi mentali; relinquit enim omnis culpa remorsum, reddit metuentem, minusque Deo confidentem; cui medebor magnâ puritate mentis. Quòd si voluntatē perturbaverunt affectus, licet à culpa immunes, ut amor sui, horror difficultatum, quæ in oratione solent occurrere, & quarundam passionum

### *Proloquium ad Lectorem,*

libertas nimia, quæ arguunt voluntatem alienis affectibus plus nimio indulgentem, & proinde minus addictam ad ea, quæ Dei sunt; vel cum intimè in ea resideant affectus illi, semper parati sunt, ut cum ad orandum applicare voluerit cæteras potentias, facto velut agmine irruant, & avertant: cui medebor passionum dominio. Quod si voluntatem quævis anxia impedit sollicitudo, circa rem bonam, ut studia, si illa sit nimia, ei medebor absolutâ voluntatis mortificatione ad obtinendum animæ libertatem; ex nostra enim corruptione vix ullam rem attingere possumus, quin aliquis inordinatus in voluntate non sat mortificata relinquatur affectus. Quod si voluntas ideo non plenè meditationem prosequitur, quia fructus ejus, qui occulti sunt, & spirituales, non experitur; ei medebor propositis, impetratione, satisfactione, meritòque majore propter humilitatem, patientiam, heroicam fortitudinem, amorèque Dei majorem, quas omnes virtutes meditâs insensibiliter licet, exercet.

Manifestæ præterea illusiones in meditatione sunt inconstantia in mutatione materiæ, potissimum a quærentibus devotionem sensibilem, quod est animi non satis virilis. Item Curiositas; non enim abundantia scientiæ, sed sensus, & gustus rerum interior

deside

### *De Oratione mentali.*

desiderium animæ explere solent. Superba  
sui æstimatio, quando lumina divina natu-  
rali discursu exaggerantur, unde lubricus &  
præceps proprii iudicij casus. Indiscretio,  
dum auertimur à virtute magis necessaria,  
& ad minus eo tempore necessariam conver-  
timur; dum trahimur famâ, vel utili aliquo,  
aut delectabili potiùs, quàm virtuoso. Ni-  
mia consolationis sensibilis æstimatio non  
directa ad substantialem, quæ in exercitio  
virtutum sita est. Falsa consolatio, quæ dis-  
solvit mentem, restinguit mortificationis, &  
humilitatis desiderium, securitatem nimiam  
parit, sollicitudinem, inquietem affert. Tem-  
poris præcisio prætextu pietatis, utilitatùsque  
proximi; putantium intellectum discursibus  
speculativis implendum, cùm deberet pra-  
cticis, cuius facilibus: nam etiam ignaris  
noti sunt aliquo modo mores sui, veritatès-  
que Fidei, unde ad regulam quotidianas  
vitæ actiones formare queant. Ariditas, quæ  
adversatur sanctis affectibus volùtatis, unde  
difficiliter eliciuntur actus virtutum: quæ  
si adversatur consolationi tantùm sensibili,  
bona erit, quòd si inferiorem partem con-  
tra pios excitet voluntatis motus, ita, ut ad  
memoriam crucis, virtutùmque solidarum  
animus horreat, reddaturque timidus, in-  
constans, morosus, lentus, diffidentia plenus,  
atque



*Proloquium ad Lectorem,*

atque tristiã in omnibus, quæ pertinent ad cultum Dei, & quadam desperatione agatur, certissima erunt signa desolationis diabolicæ. Igitur ejus causæ inquirendæ, quæ sunt triplices.

*§. II. De causis desolationis,*

*& remedijs.*

**I.** **N**egligentia in cavendis culpis, earumque radicibus evellendis, atque affectibus cohibendis: & tollitur sancto timore DEI, cordis, sensuumque custodiã: qui enim sibi non est culpæ conscius, neque in præmissa præparatione negligentiam admisit, qui sensus in oratione cohibet, distractiones averfatur: qui tempus præscriptum explet, situmque tenet decorum: qui in his sex non delinquit, non est, cur se affligat, quantumcunque sit sine affectu.

Secunda desolationis causa est, impugnationis dæmonis: Cui constanter resistendum, qui non stetit in veritate constanter: constantiã igitur superabitur.

Tertia est permissio Dei, cui respondere oportet discretionem, nihil ex passione agendo, vel omittendo, sed totum ex ratione, & consilio. Humilitate, quã nostram miseriam agnoscimus: nihil enim ita impedit DEI sensum, atque nostri excusatio. Fortitudine, opponendo se desolationi, statuendoque  
**nihil**

### *De Oratione mentali.*

nihil nos veile spontè admittere Deo displicens Oratione, quâ petimus, ut Deus nobis pacem largiatur, & turbatores orationis nostræ comprimat. Fiducia in DEI auxilio; Agnitione, id nobis prodesse, quòd simus cõformiores Christo in cruce derelicto; quòd ita magis exerceatur virtus, amorque DEI: cur enim affligimur, nisi, quòd Deum laudare nequeamus? Cur volumus, nisi, quòd amemus? Liberalitatis divinæ provocatione, pœnitentijs corporalibus, &c. Aspectu piæ imaginis, lectione sacrâ, verbi gratiâ, soliloquiorum divi Augustini, Psalmorum Davidis, &c. Ire ad templum fontem lucis. Parare se ad confitendum coram Deo. Communicare spiritualiter, id, quod in dies, qui agit, vix unquam devotione carebit. Renovatione actuum Religionis. Oratione mentali. Propositâ paupertate suâ pervicos cœlestes à Sanctis petere varias virtutes, atque ab Angelis. Totam Christi vitam in varias stationes dividere, ad unamquamque aliquid orare. Recurrere ad vulneta Domini JESU. Decernere, quibus virtutibus singulas diei actiones velim exornare. Mente ad mundi partes sanctiores peregrinari. Pro diversis hominum statibus Dominum exorare. Denique in promptu habere ordinem multorum actuum, ut ante memini, virtutum:

tum:

*Proloquium ad Lectores.*

tum: sed ita, ut non impediatur Spiritus sanctus operari volens. Nec omittendi triplices orandi modi. I. Quo discurras circa Præcepta Dei, aut Ecclesiæ, circa septem peccata mortalia, tres animæ potentias, & quinque corporis sensus, & hoc non tam speculative, quàm practice: verbi causâ, in præceptis, præmissis præludijs, considerare mandatum ipsum in se, quàm sit bonum, rationi consonum, & sanctum, quia voluntas Dei explicata per præceptum sanctificatio nostra: quàm utilis ejus observantia: Quomodo illud servaverim: si exactè, gratus ero Deo: sin minus, dolebo, & veniam petam, proponam ejus observantiam, peccam ad hoc gratiam per colloquium ad **DEVM**: quo finito ad aliud præceptum transibo. Idem agam per peccata discurrens. II. Executiam singula, quàm sint voluntati divinæ, doctrinæ, & exemplo Christi, obligationique meæ multiplici contraria, quàm turpia, quàm damnosa, quàm justè prohibita, quantum noceant, si tempestivè non fugiantur, quomodo illa hætenus fugerim, vel imposterùm decreverim fugere. Quòd si de virtutibus considerationem instituam, incitamenta quæram ex voluntate Dei, doctrina Christi, & exemplo, obligatione meâ, pulchritudine virtutis etiam gentibus commendata,

commendata,

## *De Oratione mentali.*

mendata, & præmio ejusdem etiam in hac  
vita. Cum de potentijs animæ, & corporis  
sensibus agam, videbo 1. quàm nobiles,  
& utiles nobis sint singulæ, memoria, intel-  
lectus, voluntas, &c. ad quem finem homini  
à Deo datæ: Quomodo ijs usus sit Christus,  
B. Virgo, sanctique: Quomodo ego ijs usus  
sim, & posthac uti velim. Quanti hoc oran-  
di genus Christiano homini faciendum sit,  
ex eo collige, quòd S. Franciscus Xaverius  
Indorum Apostolus, solitus referatur omni-  
bus, quas tractabat, animabus, eundem  
modum vehementer commendare, imò &  
pœnitentiæ interdum loco injungere: ut  
manè & vesperè aliquod tempus huic exer-  
cizio impenderent.

Secundus orandi modus ex perpensa sin-  
gularum vocum orationis significatione de-  
sumitur, præmissâ oratione præparatoriâ,  
recitandòque orationem Dominicam, si  
meditationis figatur pes; verbi causâ in Pa-  
ter noster, quamdiu circa eam variæ signi-  
ficationes, similitudines, spirituales gustus,  
& aliæ commotiones devotæ inciderint, sic  
deinceps procedendo: quod & in alijs ora-  
tionibus, titulisque Dei, Christi, B. Virginis,  
& Sanctorum fieri poterit.

Tertius orandi modus, qui fit cum qua-  
dam vocum & temporis commensuratione,  
sic

hs

*Proloquium ad Lectorem.*

fic exercetur. Præmissâ, ut antè, oratione præparatoriâ, in Psalmorum, verbi gratiâ, lectione singulas voces per tantum temporis, quanto communiter una respiratio durare solet, considerando rem singulis vocibus significatam, ut ita orem spiritu, orem & mente.

Iuverit etiam uti modo examinis per quinque puncta, circa virtutem aliquam se occupando: Gratias agere pro agnitione talis virtutis: Petere majus lumen ad eam cognoscendam: Discutere se, num, ubi, quando, & quomodo eam exercuerit: Dolere de negligenti executione, propositio- que facta, petere auxilia pro usu ejus, formando colloquium ad DEVM, ad Christum, ad Divam Virginem.

Ad extremum, quantacunq̃ue desolatione afflētus, dicat: Ego non incepti hanc meditationem meam propter meum solatium, sed ex mero DEI amore, quare eandem ex amore eodem perficiam.

Illusiones post meditationem sunt I. neglectus reflexionis. 2. Effusio mentis ad alia. 3. Animi dejectio ob successum minus bonum. 4. Defectus bonæ executionis. Ex adverso signum spiritûs boni erit, si notatis LUMINE, AFFECTU, & RESOLUTIONE reperero veritates æternas, notitiam Dei,

*De oratione mentali.*

Dei, meique, ut bona Dei præponam meis, ut proprio me sensu exuam, virtutes Dei placito operer, si vergam ad munditiam cordis, concupiscentias, & passiones cohibeam, tentationes vincam, opiniones, & errores vanorum hominum contemniam, despiciam terrena, desiderem coelestia, imiter Christum: nemo quippe melius egit Christo: Deo uniar, Zelo æstuem, labores hilaris suscipiam, continuam, doloresque perpetiar pro vita æterna. Hisce luminibus accedentes lachrymæ admitti poterunt, sine illis suspectæ sint. Eruat autem eadem die sine meditandi indictio, resolutiones exercendæ, ad habitus vitiorum evellendos, virtutesque acquirendas: Quidquid enim Spiritus Domini distaverit, visitatione, inspiratione, instructoque suo: sive ordinaria dicitur facienda, sive extraordinaria, obtemperandû ei est: quod hac in re omnis perfectio orationis, & amicitia Dei sita sit, obedire Spiritui Dei præcipienti, consulenti, inspiranti que semper, quæ perfectiora sunt, ut ipse dixit, sanctæ Virgini Gertrudi: Bonitas mihi ingenita eligit melius. Alioquin neglectus ejusmodi inspirationum est extinctio quædam damnosa spiritûs, & justa desolationum, ariditatum, derelictionum divinarum causa. Quid enim DEVS riget  
agium

*Proloquium ad Lectorem.*

agrum cordis, pluviam ejus voluntariam non recipientem? Quorsum eum seminet, si fructificare nolit seminanti? Quare colet vineam, de fructu ejus non manducaturus, aut labruscas pro uvis ejus recepturus? Atqui, *ubi deficit gratia, deficit tu*, inquit D. Bernardus serm. 54. in Cantic.

*S. 12. Quid agendum, si quis impulsus senserit extraordinarios in meditatione.*

**C**irca impulsus extraordinarios notandum, eos à Theophilo Bernardino ad tres classes reduci. Ad miracula, ad actiones ex occultis principijs procedentes, ut stultitiam simulare, actum Davidi: ad actus repentinos, ut sanctæ Apolloniæ in ignem insultus. In his discernendis, 1. audire ea nemo debet, qui certus non est ab ipso DEO se ad ea promoveri eo modo, quo permoti sunt Sancti, quibus inspirans Deus certos eos reddebat, quòd ipse esset, qui juberet. Deinde quinque regulas servandas: 1. Num respondeat sacrae Scripturae, Ecclesiae Præceptis, Consilijs, Intentionique Deo placendi. 2. An sit utilis illa inspiratio ad terrenorum contemptum, & amorem divinorum: dispensationes enim ad sensualitates plerumque suspectæ sunt. 3. An sit  
inspi

## De Oratione mentali.

inspiratio pacifica. 4. An humilitate instru-  
cta. 5. An recipiens sit constans amicus Dei,  
convenientis ætatis, integri iudicij, & an  
totum submittat iudicio superioris: quod  
in hoc negotio uti utilissimo, ita & maxime  
exposito illusionibus, est semper consulen-  
dum.

Cæterum ordinarijs Dei recipiendis im-  
pulsibus materiam & occasionem submini-  
strabunt 415. considerationes sequentes,  
quas Domino Scripturas aperiente, qui  
mente versare volet, tritam ille quidem  
inibit viam, qui ex ijs actus virtutum fre-  
quentare, vela dabit lætus: qui assumpserit  
contemplandas, sublime feretur: cuius de-  
nique animus ad Dei, proximique amorem  
perficiendum incaluerit, ignitus volabit ille  
fulminis ocyoralis: quid enim vetet aman-  
rem? itaque clavi orationis instructo, omnia  
sponte sua referabuntur sequentia, utinam  
eo in omnibus scientiæ Sanctorum amato-  
ribus consequente fructu, quem Deus ipse  
intendit: quo inspirante, ut tam diversis  
hominum ingenijs placeret (a) *Veritas ubi-  
que mater sanctitatis*, utile censuit D. Au-  
gustinus. (b) *ut ipsa perveniat ad alios sic, ad  
alios autem sic.*

(a) D. Chrysostr. in Ps. 118. (b) L. 1, de Trin. c. 36

INDEX